Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26908
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et saxo [immenso] ingenti opprimi. Unde factum est ut immanissimam petram
quam uix attroclea pensare septuaginta homines potuerunt super
humeros eius ponerent. Ipse autem sanctus maro. quasi leues paleas [portans] ponens
eam per duo miliaria saluus. et in eo loco posuit in quo orare consueuerat.
Factumque hoc omnis prouincie [populus] admirantes credidit christo et baptizatus est.
Consularis autem accepta ab aureliano [licencia] potestate interfecit eum. Populus autem
excauauit petram. quam humeris portauit. et ubi sepelierunt eum in ec-
clesiam christo fabricatam in nomine eius. In qua prestantur beneficia domini
ad gloriam nominis sui usque in hodiernum diem. PETRONELLE VIRGINIS

PETRONELLAM itaque uoluntate petri apostoli
paraliticam factam bene nostis. Cum apud ipsum plurimi discipuli eius
reficerentur. contigit ut titus diceret apostolo. Cum uniuersi a te sal-
uentur infirmi. quare petronellam paraliticam iacere permittis?
Apostolus uero ait. Sic expedit ei. Sed ne existimetur impossibilitas eius
incolomitatis meis sermonibus excusari. ait ad eam. Surge petronella mi-
nistra nobis. Et surrexit statim sana. Ministerio autem expleto. iussit eam
redire ad grabatum. At ubi in dei timore cepit esse perfecta. non solum ipsa sal-
uata est. uerum etiam plurimis recuperauit in melius suis orationibus sa-
nitatem. Et quoniam nimis speciosa erat. uenit ad eam flaccus comes cum
militibus suis. ut eam sibi uxorem acciperet. Cui petronella ait. Ad puellam
inermem. cum militibus uenisti. Si uxorem me habere uis. fac matro-
nas uirgines honestas ad me post dies tres uenire. ut [cuius] triduum ueniam
ad domum tuam. Factum est autem ut triduum dierum acceptum [spacium] uirgo
sancta ieiuniis et orationibus occuparet. habens secum uirginem feliculam
conlactaneam suam in dei timore perfectam. Tercio itaque die. ueniens
ad eam sanctus nicomedes presbiter celebrauit mysteria christi. Uirgo autem sacra-
tissima. mox ut christi sacramenta accepit. reclinans se in lectulo. emisit
spiritum. Factumque est ut omnis turba matronarum et uirginum que fue-
rant a flacco adducte. exequias funeris sancte uirginis celebrarent. Flaccus
autem uertens animum dixit ad feliculam. Unum tibi e duobus elige.
aut esto uxor mea aut sacrifica diis. Cui sancta felicula respondit. Nec
uxor tua ero. quia christo sacrata sum. nec immolabo diis. quia christiana
sum. Tunc flaccus comes tradidit eam uicario. et fecit eam in tene-
broso claudi cubiculo. sine cibo. per vii. dies. In quo dicebant ei custo-
dum uxores. Quare uis mala morte mori? Accipe uirum nobilem